

**Jussu et autoritate, illustris facultatis medicae, almae Eberhardinae,  
praeside Elia Rudolpho Camerario ... Historiam et curationem asthmatis  
rerioris ... / publico ac solenni examini submittit, Johann-Ferdinand  
Kalckbrenner.**

### **Contributors**

Kalckbrenner, Johann-Ferdinand.  
Camerarius, Elias Rudolph, 1641-1695.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Ex typographia Kerneriana, [1681]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ehrn5b8d>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

**Σ Y N Θ E Ω.**

*IVSSV ET AVTORITATE,*

**ILLUSTRIS FACULTATIS MEDICÆ,  
ALMÆ EBERHARDINÆ,**

*PRÆSIDENTE*

**DN. ELIA RUDOLPHO  
CAMERARIO,** Philos. & Med. Doct. & P. P.

*Consiliario & Archiatro Wirtemberg.*

*h. t. DECANO,*

*Patrono, Præceptore ac Promotore suo Maximo &  
nunquam non plurimum venerando.*

**HISTORIAM ET CURA-  
TIONEM**

**ASTHMATIS  
RARIORIS,**

*Pro LICENTIA,*

**OBTINENDI SUMMUM IN ARTE MEDICA**

*Doctoratus Gradum,*

*Publico ac solenni Examini submittit,*

**JOHANN-FERDINAND - Kaldtbrenner/  
Heilbronnâs.**

*Ad diem 26 Aug. Anno M. DC. LXXXI.*

**IN AULA NOVA.**

*TVBINGÆ,*

*Ex Typographia Kerneriana.*

ОДОИЧ

СИМЕОН ПАПА СВЯТИЙ


ЗОИКА

СИМЕОН ПАПА СВЯТИЙ

СИМЕОН ПАПА СВЯТИЙ

СИМЕОН

СИМЕОН ПАПА СВЯТИЙ



## Σ. Θ.

# HISTORIA & CURATIO ASTHMATIS RARIORIS.

**A**ocatur *Medicus* manè hora circ. octav. celeri pede & concitatâ voce ad *Femminam* quandam jam jam , ut vocans ancilla referebat, morituram : advolans quasi inventit *ipsam* sedentem in *Sellâ*, difficillimè & frequentissimè respirantem , anhelantem , cum tanto sibilo , ut instar fistulæ tenuioris pectus resonaret , extremis frigidam , capite nutantem , brachiis quasi resolutam , vix verbum proferre valentem , pulsum debilem , parvum , rarum , tardum , inæqualem . Naribus , labiis & pulsibus , cum ad manus mox nihil aliud esset , aspergit *S. V. fenestras* aperatas , quia satis spatiolum ac amplum conclave , claudi jubet , fumo jam ab Adstantibus excitando interdicit , fascias , pectus ac abdomen stringentes , laxare ac auferre jubet , Adstantibus summum indicat periculum , prescribit statim : Rx. ▽ asthmatis. 3ij. syr. de *Prasio*. Oxym. squillit. ana. 3vj. M. D. Rx. Sperm. Cet. 3ij. d. & Rx. Essent. succin. Elix. vit. Maj. 2. ana 3j. M. d. S. Anstrich. Rx. Vngt. pectoral. ° Chamomill. ana 3vj. M. d. ad Oll. Istam Mixtur. saepius 2. vel 3. cochlear. quantit. pulverem mox cum jusculo calido exhibere , Elixiris mixti parum naribus , pulsibus ac temporibus subinde applicare , linimento pectus calidè inungi , extrema fortiter linteam inibus asperis calidis fricari , Adstantium inutilium turbam exire jubet . Quibus per horæ quadrantem frequen-

ter exhibitis & applicitis *tussire*, *expectorare* *Aēgra*, & remit-  
 tere aliquantum cœpit malum. *Medicus* continuationem  
 executionis consiliorum suadens, domum repetit. *Vesperi*  
*Ipsum* visitans per expectorationem rejectam magnam mu-  
 ci partim valde viscidi, partim spumosi copiam cernit, & per-  
 cipit, ab *ipsius* abitu sensim sensimque magis remisisse malum,  
 ut hora elapsa, & hactenus repetita vice iterum per hypo-  
 caustum deambularet, ceu antea, excepto, quod insignis  
 membra teneret lassitudo. *Colloquium* ergo & *Examen*  
 cum *Aegrā Medicus* instituit, rogans, ut narraret, quomodo  
 hactenus, nam nunquam antehac *ipsius* curam gesserat, quā  
 varia, de quibus sigillatim quærebat, se habuerit, quo victu  
 & vitæ genere usa fuerit, & quæ hodiernum subitum præ-  
 cesserint paroxysmum. Quæ partim *ipsa* referebat & ad  
 quæsita respondebat, partim *Medicus* observabat, sunt se-  
 quentia: *Annus etatis 65. Pater* obesus, catarrhis & difficul-  
 tati respirandi sèpiùs obnoxius, & catarrho, ut vocabat, suf-  
 focativo, tandem vitam finiens, *Mater* per totam vitam sana,  
 sed anno *etatis 56. Apoplexiā* mortua, facilis à cibo satietas,  
 fames rara, sitis nulla, *inflatio* aliquando, præsertim post ci-  
 bum copiosiorem sumptum, abdominis, sed absque insigni-  
 bustorminibus, alvus naturaliter aperta, aliquando fluidior,  
*pulsus*, mediocris, quā validitatem & magnitudinem, ratus,  
 tardus & mollis, palpitatio *Cordis* per intervalla, sed raro,  
 adoriens, per multos jam annos difficultis *respiratio*, ita ut nul-  
 lum vehementem corporis motum tolerare potuerit, *sen-  
 suam externorum* quædam hebetudo, *judicium* satis acutum,  
*memoria* non satis firma, *somnolentia* nimia, *lassitudo* fere con-  
 tinua, tardior *motus* & ob hanc & ob difficilem respiratio-  
 nem, *muci* viscidi per nares emunctio & spūtienti, crassi ex-  
 creatio antehac frequens, per aliquod jam tempus remit-  
 tens, *urina* pallidior justo, tenuis, *sudores* antehac haud in-  
 frequentes, jam per tempus penitus nulli, *menses* olim 20.  
*etatis anno primū erumpentes*, ad 44. *fluentes*, statim qui-  
 dem

dem tempore, sed parci, crassi, fluor aliquando albus, fontis  
 culus nullus, ab aëre pluvioso, nebuloso & frigido, qualiterum  
 læsio, à catarrhis frequens olim molestia, hactenus remittens,  
 habitus corporis valde obesus & mollis, cutis alba, lævis, mol-  
 lis, ad tactum frigidior debito, cibus consuetus ex lacticiniis,  
 fructibus horæis, oleribus, frixis, raro ex piscibus aut carni-  
 bus, nimia sæpè quantitate, non tam ob appetitum, quam  
 ob diuturnam ad mensam moram assumptus, otium nullum,  
 sed tales muliebres labores, qui sedendo ob difficultatem  
 ad motum ante indigitatam peragi possunt, somnus longus  
 & profundus, curæ non intensæ, sed ordinariæ & assuetæ,  
 pilulae de succin. Craton. antehac, contra catarrhos menstrua-  
 tis assumptæ, hactenus intermissæ. Optabat ægra, ut li-  
 ceret aliquandiu vitam, ut hactenus, licet ob corporis mo-  
 lem & difficilem respirationem valde molestam, protrahe-  
 re, modò avertatur omnis paroxysmus, ceu hodiernus, nam  
 aliâs se ipsum superare non posse. Surrexisse enim se è le-  
 eto horâ 7. indutam vestibus, mensæ assidentem preces ad  
 D E U M matutinas misisse, post sellæ, in qua Ipsam depre-  
 henderit Medicus, insidendo, absque singulari molestia  
 nendo tempus trivisse, subitò verò dyspnœam augmentum  
 cepisse & intra brevissimum tempus ad eam àxūn, quam vi-  
 derit, pervenisse, fuisse semorti proximam, pectus summo  
 & gravissimo pressum pondere, membra omnia jam fuisse  
 frigida, & emortua. Medicus suadet, ut assumat manè &  
 vesperi pulv. seq. dosin cum mixt. quantit. 4. cochl. sæpius  
 verò Elect. castan. quant. Rz. rad. ari ppt. Ircos Flor. helen.  
 sperm. cet. ana. 3iB. flor. sulph. benz. ana. 3B. sacch. cand. 3B.  
 M. F. Pulv. divid. in 16. dos. æq. Rz. v. veron. simpl. cum vino,  
 ana. 3ijj Oxymell. squillit. 3iB. M. d. Rz. Conserv. veronic. 3ij.  
 fl. anthos. 3vj. cort. arant. condit. 3ijj Nuc. Ind. condit. 3ij.  
 syr. cort. citr. q. s. M. F. Elect. d. ad Oll. Altero die horâ 2.  
 pomerid. iterum citò citò advocatur Medicus, qui Ipsam  
 asthmatico, ut die præcedente, paroxysmo vehementissimo

ferè suffocatam reperit, imperat citam hesternorum adhuc  
 exigua portione præsentium exhibitionem & applicatio-  
 nem, propinat potiunc. seq. ex pharmacopolio ad præscri-  
 ptum allatum: Rx. Gumm. ammoniac. in + squill. sol. Dij. v  
 eronic. c. vino 3*fl*. syr. Iujub. 3*fl*. M. D. Quibus educto per  
 excretionem iterum copioso muco cum aliquali spumæ  
 quantitate, & hic intra brevius ferè quām heri tempus pro-  
 fligatur paroxysmus. Reliquum tempus Medicamentis pri-  
 ribus satis tolerabile redditur, cibus mediocriter appetitur,  
 assumitur, alvus respondet, respiratio consuetè licet difficul-  
 ter succedit, ad quartum usque diem, cuius hora i. nocturna  
 vehementissimus iterum invadit Ægram in lecto decum-  
 bentem paroxysmus, sed & iterum brevitempore dictis Me-  
 dicamentis & reiterata potiuncula cum excretione sputi  
 copiosi profligatur. Per quatriiduum pulv. mixtur. & Elect.  
 continuantur, absque ullo amplius superveniente paro-  
 xyso. Ut porrò tales præcaveantur insultus subiti, pulv.  
 seq. septimanatim bis ter, vel etiam quotidiè manè & ve-  
 speri usurpandus: Rx. rad. ar. ppt. 3*fl* helen. Lign. Sassafr. ana.  
 3*fl*. Trag. Gabelkov. Tab. man Christ. perlat. ana. 3*fl*. M. F.  
 pulv. dos. 3*fl*. vel cum juscul. vel cum aq. veronic. Pilula ter-  
 tio post quodvis Novilunium die deglutiendæ: Rx. Extr.  
 Pil. Marocost. 3*fl*. Magist. talapp. gr vi. M. F. Pil. numero XL.  
 pro 2. dos. Excitandus fonticulus in brachii sinistri loco de-  
 bito. Diætam ut ad leges Medicas accuratiùs instituat,  
 omni studio nitatur Ægra, cibos condit petroselin. rad. aro-  
 mat. aliquantum largius, à cibo & ante cibum corpus levi-  
 ter exerceat, etiam alio tempore, somno non nimis indulgeat.  
 Quibus observatis Dei Gratiâ vitam jam transgit per bien-  
 nium ab istis paroxysmis liberam.

# A N A L Y S I S.

## THES. I.

 **I**Um de *Disputationis* *Themate Inauguralis* mecum deliberarem, Consilium à *Magnis* nunquam non mihi Venerandi accepi Patronis, ut *Asthma* feligerem, cui debitum præstiterus obsequium modò recensitum Casum examinare, & Solenni Examini submittere decrevi, inductus rariitate affectus, & maximâ ab isto examine in Praxi, cui sua Medicus debet dicare studia, sperandâ utilitate. *DEVMT. O. M. Summum corporis & anime Archiatram*, ut omnia feliciter cedant, anhelantibus invoco precibus, ut gratiæ suæ rore mentem meam vegetet, quod omnes cogitationes meæ securum & tranquillum veritatis portum attingere, salutemque proximi promovere queant.

**II.** *Asthma* an à τῷ αὐτῷ, spiro, an à τῷ αὐθμανῷ, aut αὐθμάζῳ, anhelo, suspiro, an à τῷ ασματί, cantu, s. sono dicatur, Medico, cuius tam subitum poscebatur auxilium, non dabatur diu disquirere, hinc & ego supersedeo.

**III.** *Asthma* dixi hunc affectum, est enim difficilis, frequens, anhelosa, cum sibilo & magna pectoris contentione, respiratio, sine febre, ab aëris & sanguinis per pulmones transitu multum impedita, orta. Hæc descriptio distinguit *Affectionem* hunc non solùm ab ἀπνοϊᾳ, in qua ablatæ penitus est, à θυελλοΐᾳ, ubi tam vehementer læsa non est respiratio, ab ὄφελονοΐᾳ, quā detentis non nisi erecto corpore respirare licet, sed & à reliquis *Asthmati* iisque variis, ut in causarum enodatione ac recensione patebit, speciebus; hinc *Rarius* vocavi *Asthma*, quia à tali causa, cum talibus junctis symptomatibus, ut nihil convulsivi, sive solitarii, sive junctim, nulla agitatio accedit, ut tali infra determinando modo causa agat, haud frequenter, sed raro, imò rarissime, si accurata instituitur consideratio, observatur. Nec obstar, quod Medici haud pauci non solùm frequentissimam hanc *Asthmati* dicant speciem, sed & Quidam hanc solam non aliam recenseant ac exponant. *Catarrhum suffocativum*, sed non *Veterum*, si quis dicere vellet, per multos Recentiores liceret, qui hunc non tam à catarrhoso capitio depluente imbre, quam transitus sanguinis,

guinis per pulmones à causâ nonnunquam nimis agitante, nonnunquam in grumos, concretiones, stagnationes cogente, impedito deducunt.

IV. *Subjectum* sunt potissimum *Pulmones*, istud ex levissimis & tenuissimis membranulis extensis, & situatis penè infinitas vesiculas orbiculares & sinuosas efformantibus aggregatum, ex tubulis diversis & valde intricatis conflatum viscus, cum vasis suis, arteriosis publicis & privatis, venosis, lymphaticis, ac meatibus, & *Aspera Arteria*, sive *Trachea* cum suis canalibus. Sub diverso respectu sunt *Subjectum* & *Causale*, & *Passivum*. Sub posteriori vel à conceptu musculos, quos Quidam magno numero recensent, potissimum tamen hic intercostales exteriores & interiores, serratos posticos superiores & inferiores, levatores costarum, cervicales descendentes, levatores scapularum & rhomboidae, diaphragma, costas, sternum, claviculas, scapulas non excludo. *Trachea* enim cum suis ramificationibus sive productionibus cartilaginosis in cavitate suâ, in statu sano satis quidem patula, facile angustatur, & ut hic, obstruitur, ut sufficientem aëri transitum deneget, hinc & ipse dilatare vesiculas illas debite non valet; *Pulmones* quâ vasâ sua, bronchia s. fistulas Æolias multiplices, ductus varios minus itidem quâm deberent, patent tamen aliena, quâm propria culpa; motus ergo iste s. respiratio lœditur, depravatur, ad quam cum concurrant *Partes* illæ dictæ, necessariò & simul patiuntur ac ab ordinaria aliâs ac naturali actione deviant. *Caput* ac *extremæ* simul affecta fuisse, symptomata reliqua, & eorum causa, uberioris infra exponendæ, testantur.

V. *Causa* est *Aëris* & *Sanguinis* per pulmones transitus multum impeditus. Iste enim cùm liberè laryngem, tracheam, ejusque diversos per pulmones dispersos ramos subire, per eosdem se expandere; hic, si per arteriam pulmonalem s. venam arteriosam ejusque ramulos per pulmonum vesiculas dispersos meare & per venam pulmonalem s. arteriam venosam ad Cor remeare indesinenti circulo, si per arteriam Ruyshij bronchiale debite affluere & comitem venam refluere non potest, & in tali circuitu vehementer impeditur, hic Ægræ mox oritur affectus. *Cause* autem istum transitum impedientes, sufflaminantes, expansioni ac motui isti remoram ac obicem ponentes, si *Observationes* varias Medicorum & Experientiam consulimus, plures imò plurimæ sunt, quas brevissimis recensabo, & quæ in hoc Casu removendæ sint, exponam.

VI. Non peccavit h̄ic Aēr , miasmatibus , ut vulgo accusari solet frequentius , venenatis , non particulis istam in pulmonibus sanguinis rarefactionem , attenuationem intendentibus , sive à nitro , quod si feceris , haud levibus te implicabis difficultatibus ac dubiis , sive aliundē deducas. Nec enim symptomata , sive virulentiam illam , sive nimiam spirituascentiam in sequentia h̄ic se prodebant. Non prima aēri occludebatur via , quæ per narres , fauces & guttur est , à variis modò nativis modò ascititiis conformatio[n]is vitiis haud raro occludi solita ; tale enim Historia nullibi recenset ; Nec indicia Eadem proponit , quæ malii hujus causam monstrant , Asperæ Arteriæ angustiam , compressionem , sive ab internis , sive ab externis , pituita lenta , viscida in membranæ consistentiam coacta , tumoribus variis , aneurismatibus , concretionibus polyposis , lapidosis , sanguine extravasato , pure , thymo vitioso , pinguedine copiosa , ossiculis , lapillis , fabis , monetis , avellanæ nucis putamine , pilis , uvæ acino , laqueo , &c. Nervos huic vasi ejusque ramis insertos , fibrasque nerveas , nervos & fibras quas Quidam pulmonum motui & expansioni præficiunt , quæ musculis intercostalibus & dia phragmati motum largiuntur , à spastodicâ affectione , quæ in Asthmate , quod caducum pulmonum vocat Helmontius , frequens est , h̄ic liberat sibilus , stertor , pondus gravans , absentia partium inflationis , corrugationis , contractionis convulsivæ ; à vulnere aut alia continui solutione præcedentia absolvunt.

VII. Non erant in hâc Ægra Pulmones deficientes , exiccati , aut quasi fumigati , corrugati , aut indurati ut vitri instar sint fragiles , lapidescentes , non magnitudine , aut mole peccantes , inflati , à sanguine extravasato , grumoso , spumoso , distenti , non inflammati , exulcerati , vulnerati , tumidi , scirrhosi , putridi , coagulati , gangrænosi , spha celati , non à tuberculis , abscessibus , strumis , carunculis , ossibus , calculis , vesicis instar hydatidum , glandulis , concretionibus grumosis , quasi carneis , membranaceis , vomica , pure obfessi , metallicis mineralibus fumis ac vaporibus atomis s. particulis sebaceis infecti , non à fragmentis vertebrarum carie exesarum , à dorsi spinâ contortâ læsi ; Vasa non rigida , non vulnerata : Vesiculae illorum sinuosæ non justo densiores , sive à solutione & iterum s. &c. unione continui , s. ab alia causa , non coalescentes . Quæ singula prægressa non sensim , sed subito & brevi facta generatio & solutio gravissimi mali , tūm potissimum

mum expectoratio auferens illud, sibilus, sputum, obesitas, & tussis non sicca probant. An annexi costis & vicinis partibus per fibras, quæ membranaceæ, carneæ nonnunquam, aliquando ex viscida pituita in tenaces membranulas inspissata, coagulata, oriuntur, fuerint & probabiliter non tamen indubie affirmare licet. Febris doloris, & externorum lædientium absentia, circum per attenuationem & extirrationem muci copiosi, auxilium, diaphragma & musculos pectoris, ab inflammatione, pure innatante, materia viscida tenacissimè adhaerente, inflammatione, vulnera, ulcere, aut alia continui solutione, à corpore quocunque s. massa annexa immunes esse dicunt. Vasa tām arteriosa quām venosa è corde ad pulmones, & hinc brevi circulo ad Cor sanguinem vehentia, ob ante dicta continuum habebant individualum, nec quod Quibusdam placet, convulsivè coarctabantur.

VIII. Nec Cordis nimiam magnitudinem, spasmum, nec nimiam circa Cor & pulmones pinguedinem, nec pericardium crassius cordē undique adnatum, aqua repletum ac distentum, inflatum, suppuratum, nec cartilagineam costarum partem in osseam substantiam induratam quis hic acculabit. Recensita in Historiâ & infra exponenda, simul & propria signa deficiencia etiam exulare è causarum hue spectante foro jubent nimium mammarum pondus, æsophagi tumorem, obstructionem, aut aliū morbum, assumptos fungos, bellborum album, aconitum, Bella donna s. solanum furiosum, Mercurium vite, ventriculi, & omenti vitiolum in thorace situm, illum à quaunque causa nimis distentum, pancreatis nimiam molem, hepatis magnitudinem auctam aut aliud vitium, lienis tumores, abscessus, &c. abdominis, pectoris hydropem, mesenterij, omenti tumores, glandulas, pinguedinem, abscessus, renes purulentos, calculosos, uterum tumescitum, distentum, nimis magnum, Cerebri substantiam à sero profundiū illapso, quām ut commodè ac expeditè satis recipi possit, præst. scabiem, similiter ac arribidem retropulsum. Anginam illam pestilentem, ignivomum gulæ ulcus, quod Syciacum & Ægyptiacum vocare solent hic relego, quia pustula, febris, ulcus, crusta & alia absunt, itidem variolas, pestem, febres malignas, ob signa absentia; Morbum hypochondriacum aut scorbutum, quia symptomata hic familiaria, sive singula, sive pleraque, sive quædam, quæ inter sunt tensiones dolorificæ hypochondriorum, ructus, rugitus, vomitus, cardialgia, vertigo, aurium tinnitus, tristitia absque causa

dolores vagi, gingivæ cruentæ, maculæ variæ, arenulæ in urinâ rubicundæ &c. non apparuerunt, quia antasthmatica antiscorbutica profuerunt.

**IX.** Spiritum *non* depravavit *Sanguinis* nimia quantitas, velebullatio, nulla enim plethoræ signa, habitus corporis obesus, non *ένταρξης*, (probè enim distinguendi) color faciei non roseus erat, pauperiorisque sanguinis pleraque ut patebit, aderant indicia. *Non* ejus biliosæ, adustæ, acres, lixiviosæ, æstuantes particulæ, nullus enim corporis æstus aut præcordiorum, non pulsus concitatus, nec urina multum tintæ adfuit; *Non* sanguis vappescens subito ab externâ causâ agitatus, nulla enim talis, in primis nullus nimius corporis aut animi motus, præcessit. *Non* sanguis nimium quam texturam solutus, quia nihil catarrhalis prægressum, aut junctum fuit. *Non* nimium strictus, febris enim aberat, & econtra phlegma copiosum probebant singula. *Non* serum à capite depluens, nec enim (ponam ex hypothesi notâ vias ab ipso ad pulmones) catarrhus adfuit. *Nec* copiosum, tenue, sive vasorum lymphaticorum, sive proprio sive glandularum vitio hîc collectum, Ægra enim erat obesa, nec tale ejicibat per sputum, quod similiter nec tinctum, quod variè aliâs fieri solet, multò minus attramentum referens notavit.

**X.** *Nec* accusare licet *Flatus*, sive in thorace, aut ipsius, sive inferioris ventris partibus contentos, fluctuantes, distendentes; nulla enim audiabantur murmura, nulli, remittente malo, emissi flatus, per superiora, aut inferiora, non à pastu, non à motu corporis subitum istud obortum symptomata, nulla istam p. n. effervescentiam, istud sylvestre Gas prodentia signa, tensiones, ruitus, cibi fluctuanti &c. prægressa vel comitata fuerunt. *Nec* antimoniales, arsenicales, Mercuriales Vitrioleos, aluminosos, salinos, nitrosos, sulphureos vapores, ut in iis, qui Vulcano ad expiscanda Naturæ arcanalitant. *Spiritus* in hâc Ægra vitales non cfferi, enormontici erant, nec enim nulla febris, ullus percipiebatur orgasmus; *nec animales*, omnis enim doloris acuti, Archæi furibundi, spasmi abfuit signum, Idæa, species. *Quod* & causam Asthmatis illius, quod hodiè mixtum vocant, hîc non egisse probat. *Singulæ* igitur hæ primo saltē monstratae digito ab ipsa verò comprobatae *Experientia* aliâs *Asthmatis* hujus vel illius cause in nostrâ hâc Ægrâ incusari jure non possunt.

**XI.** Accusatur verò *Aëris* & *sanguinis* multum impeditus transitus. Impedit istum subitum, sese per tracheæ ramos ad pulmonum vesiculos

surum *mucus* quidam latus, viscidus, limosus, pituitosus; *serum*, quod à totius massæ sanguineæ reliquâ parte secedit hîc ac secernitur, quod ab Archæo pulmonum generatur, *lympha*, quæ ex lymphaticis vasis quacunque de causâ malè conformatis, apertis hûc fluxit, ex glandulis tracheam & bronchia cingentibus transcolata fuit; *Lympha* hæc & serum jam antea aliquantum viscidum, limosum, à crasi devians, spiratione ista frequenti, ære irruente frigido, magis ac magis incrassatur, & viscidius redditur, angustiæ speciem, obstrunctionem dictam, viis ac meatibus per pulmones inducens, quæ & sanguinem in motu suo circulari, quo minus liberè permeare possit, sufflaminare creditur. Aër enim sese non sufficienter diffundens & expandens expansivum dilatatorium motum pulmonum, qui ad transmitendum simul sanguinem facit, imminuit, retardat. Non autem in Ægra proposita hæc solâm viarum ac meatum obstrucțio à muco isto viscido, sed etiam in Ipsi movendo *Sanguine* hæsit causa; *Sanguis* enim in volatilitate debita, calore, deficiens, nimis viscidus, crassus, spiritibus sufficientibus, debitâ crasi præditis, non instrutus, non debitè effervescentes, attenuatus, rarefactes, agitatus, non ritè accensus, crudior, depauperatus, particulis potius fixis, aqueis, terrestribus, quam volatilibus & sulphureis quæ absumptæ aut suppressæ sunt, præditus, ab heterogeneis variis serosis, lymphaticis, deviantibus, pituitosis recrementis, sui hîc juris factis, inquinatus moveri per pulmones motu suo ordinario nequit, stagnat, sistitur quasi, ad æqualem circumflexum ineptus redditur. Subitum istum paroxysmum, sola ista limosa, mucosa obstrucțio, quia nulla agitans præcessit causa, quia spirituum pauperiem, discrasiam, effæcum languorem, prostrationem singula, ut mox patet, monstrant, non induxit, sed junctas hîc contulit operas sanguis cum spiritibus dicto modo constitutus in talem statum subito, ceu alias frequentissimè in contrarium nimirum orgasmî, furoris, dissipationis, resolutionis &c. statum dejectus, *Spiritus enim vitales* deficientes, languidos, torpidos, minùs activos, animalium penuriam & dejectum vigorem dicta causarum seriei etiam inferunt ac jungunt. Quin & ad viarum accusatam angustiam ac motus sufflaminationem *nervosarum* in ipsis locis partium, *muscularum*, *fibrarum* quædam relaxatio, obstipatio, ob sanguinem & spiritus animales in pituitoso hoc corpore minùs activos ac subtiles accesserit, nullus dubito. Acidum, si ejus terminos more *Quibusdam* hodiè usitato extendeo latius, accusandum hîc venit, sin angustioribus & debi-

etis includo cancellis , absolvetur. Non enim tam coagulatus ab accido austeto, quam crudior minus spirituofus & dejectus est sanguis.

XII. Huc autem suam contulerunt operam *Ætas* , *Sexus* , *Habitus Corporis & Temperamentum* , cuius *semina* à Parentibuscum hæreditate accepit, pituitosum, ut in Scholis vocatur Medicis, quod ex collectis in fasciculum in Historiâ memoratis facile patet , tam enim *vitales* , quâ appetitum , & cibi & potus, excrementorum sequestrationem , pulsuum, cordis motum , & respirationem , quam *animales* , quâ sensus externos & internos , ac motum , actiones , tam *excreta & retenta* , quam *qualitates* , tam res *naturales* , quam *non-naturales* , denique & p. n. perniciose temperamento Ægram hanc præditam seu sanguine , in cuius texture calidiores , spirituofiores , volatiles particulae desunt , non debite exaltatae , suppressæ , frigidiores , fixiores , crassiores , justo copiosiores sunt , & dominium exercent , ut ita non effectus , sed causa hærigiditatis sint & quietis seu minoris agitationis , testantur. Taliter constitutus sanguis quam pronus & aptus sit ad istam , quam accusavi , dyscrasiam sive deviationem , facillimum est judicatu. Aër pluviosus , nebulosus , frigidus , saz naturæ miasmata corpori communicans per tryplicem viam , *Cibi* , ad volatilem spirituositatem minùs apti , ut sunt fructus horæi , lacticinia , frixa , nimia haud raro quantitate assumpti. *Vite genus sedentarium* , curis intensioribus expers , *Somnus* longus & profundus , *excretiones* solitæ cessantes , medicamen ordinarium intermissum. Hæc enim singula partim generando , partim colligendo sero viscido seu pituitæ uberem præbuerunt materiam , accedente simul *Ventriculi* ac *Intestinorum* fermento minùs vegeto , fibris laxis , spirituum ac caloris imminutione , vasorum obstruktione , quod famis raritas , alvus fluidior , & facilis abdominis inflatio probant , (& ita de hoc humido *Asthmate* , quod de sicco potissimum *Helmontius* dicit , sub hæc explicatione dicere licet , nempe sagittatorem *Asthmatis* in duum vivatu residere : ) *Cordis* calido vitali , quocunque alio describas nomine , & motu minùs calido ac elumbi , quod languor actionum , pulsus tardus , & mollis testantur , *Viscerum depuratoriorum* , præfertim serum sed gregantium & eduentium in officio ignaviâ & frustratione , quod mucosi viscidi , sputi lenti , crassi excreatio , seri etiam ad alia loca vectio , satis aliâs familiaris , sed post intermittens , menses parci monstrant , *Pulmonum* directore seu calido in officio deficiente , quasi obruto , ab in-

perie & conformatio*nis* dicitur *vicio* (ut ita h̄ic Paracelsi non tam minerales fumi cum ære attracti, quā in superfluum pulmonum humidum aut corundem Tartarus peccet, ut non tam siccum quā humidum Helmontij asthma hoc sit, quod à custode pulmonis et ante & proprium alimentum in excrementa convertente, à Vulcano corruptore, qui fabricat ex bono pulmonis alimento præfata phlegmata, oriri dicatur.

XIII. Hęc, qui pensat, non miratur aut dubius inquirit in phænomenon causas. Aēr enim subire, sanguis transire naturaliter & necessariō debet, ut circulus per totum promoveatur corpus, rarefiat s. attenuetur sanguis, à particulis fulginationis, fumosis, serosis liberetur, ut cētē quid vitæ inserviens maximè necessarium advehat; Hoc si non sit, quanta exinde noxa, quam ut summè provida avertat Natura, istam frequentem, velocem, & cum magno nisu instituit respirationem, resarcire conans crebriori vice quod una non licet, aēris nimoru*m* in sufficienti copia & quantitate apta admissionem denegatam, pulmonum debitam expansionem, sufficientem motum impeditum, unde ista *Anhelatio*. *Sibilus* & *Sonus*, quia velut aēr ventis vehementer impulsus celerrimè per rimas & exigua foramina ruens sibilum format, ita h̄ic aēctam inquam expirandus per angusta bronchia liberè meare non valens allidit ad asperæ arteriæ tubulos cartilagineos, istum excitat sonitum. Non autem h̄ic, quod alias ab esculentis s. potulentis, flatulentis assumptis contingere solet, bronchia dum pulmones distenti ob diaphragmatis resistentiam aequalē positionem non fortientes quā lobos hūc illūc inflectuntur, incurvata aut contorta aērem liberè non transmittentia, sed allidere facientia istum excitarunt sonitum. *Extrema deserebat calor*, quia spiritus cum sanguine non solum ob motum impeditum debitè ipsis non advenebantur, sed & ipsi in sanguine deficiebant, dejecti, prostrati erant. *Caput nutabat*, brachia resoluta quasi erant, quia animales spiritus vigore, agilitate & tono suo orbati, nervi enervati, muscularum fibrarum laxarū erant, quibus sanguinis & spirituum debiti affluxus denegatio accessit. *Vix verbum proferre valuit*, tūn ob organorum quasi resolutionem, tūn ob aēris insufficientiam ad loquaciam, hęc enim respirationem intendere magis solet. *Pulsus debilis*, *parvus*, *rarus*, *tardus*, ob motum sanguinis & dyscrasiam spirituum talem. *Inequalis* erat, ob vasorum pulmonum sanguivehorum cavitatem angustatam. Postquam ab exhibitis & applicitis medicamentis spiritus addi, suscitari,

tari, refocillari, mucus incidi, attenuari, fibræ vires recolligere cōpe-  
rant, Natura ab Ipsi in arteriæ ramis asperæ valde sensibiliæ irritata  
thoracis & diaphragmatis ope ipsum expellere conabatur, ab aëre in-  
ductibus trachealibus & laryngis se stringentis angustia allidente, tussi-  
fis oboriebatur, quo conatu & motu sensim & sensim viscidus iste mu-  
cusc magna copia per *expectorationem* eductus fuit, portione spumosa  
existente, ob agitationem nimiam & concussionem hujus à tām diffici-  
li respiratione, ceu liquida præfertim viscida agitata spumescere obser-  
vamus quotidie. *Dyspnæa quasi nativa* tām ante quām post istos pa-  
roxysmos erat, ob sanguinem pituitosorem, serum viscidius in pulmo-  
num meatibus, & corpus ab obesitate gravius. *Paroxysmus* irruerat  
*subitus* ob subitaneam istam spirituum dejectionem, orbationem, ac-  
cedente angustiâ & obstructione bronchiorum. Ceu autem aliâs ex-  
terna subito irruentia hanc excitare solent, quorum tamen hîc nulla si-  
gna, non enim saltem manè jejunio ventriculo, sed & hora à pastu se-  
cunda, non solum de die, sed & de nocte, tām sedentem quām decum-  
bentem, absque sensu ullius externæ injuriæ obruebat paroxysmus:  
Ita hîc *interna* causa in ipso jamdum spiritibus mihi vegeto pituitoso  
sanguine, & pulmonibus ponenda, velut econtrario spiritus in furo-  
rem, ferociam & orgasmum ab interna causa solum non raro subito  
aguntur.

XIV. *Signa diagnostica* sparsim hucusque recensita ut repetam & in-  
unum colligam fasciculum, superfluum judico. *Prognosis maximum*  
minabatur periculum, minimam suppeditabat spem sub ipsius paroxy-  
smi vehementia ob senium, temperamentum pituitosum, s. sanguinem  
spiritibus pauperem, partem affectam, cauſæ validitatem, symptomati-  
tum vehementiam, & succedere solitæ syncopes cardiacæ metum. Hinc  
prudenter in hoc egit *Medicus*, ut suæ non tām consulens autoritati &  
famæ, quām Ipsius *Ægra* saluti potissimum spirituali Adstantibus ma-  
gnitudinem indicaret periculi, non autem *Ægra* Ipsi ob avertendam  
subitam consternationem in Medusum sàpè rigorem sanguinem agen-  
tem. Postquam autem syncopen non supervenire, mucilaginem tussi  
& expectoratio cedere, excreari observavit *Medicus*, spem iterum  
quandam concipere & tali *Ægram* & Adstantes sustentare potuit, li-  
cet & hoc cum maxima præcautione ac prudentia, nam repetitio paro-  
xyymi cauſam, vires & Naturam superare monstrabat. *Dyspnæam ve-*  
rò dim.

ro diu jam familiarem non cessuram modestè & cum consolatione quadam de malo tali jam consueto edocuit, ac qui ejus augmentum avertendum sit, fiduciter consuluit.

XV. *Indicationes in tām subito affectu subitā etiam sed Artis tam regulis respondentī formavit prudentiā, quā conclusit, timum mucilaginosum, obstruentem incidentem, attenuandum, dissolvendum, educendum. spiritus deficientes, consumptos, sopitos, languentes, dejectos, regenerandos, resarcendos, excitandos, roborandos, erigendos, sanguinem in subtilitatem, tenuitatem, volatilitatem, fluxilitatem, flexilitatem majorem & motum debitum redigendum, fibris tonum restituendum, & sic vires restaurandas esse.* Quod effectum, Divina auxiliante benedictione, sine quā nihil sumus, nihil præstamus, per medicamenta calida, spirituosa, flammæ vitalis pabulum multiplicantia, effervescentiam naturalem promoventia, particulas sanguinis agitantia, sanguinis motum expandentia, ipsum rarefacentia, aromaticā, incidentia, attenuantia, abstergentia, salina, lixiviosa, alcalina, volatilia, oleosa, balsamica, expectorantia, per rerum non-naturalium medicamios hoc modo vicem subeuntium & ad Therapeuticam Medicinæ partem spectantium, legitimam moderationem. Spirituosa ut sanguini adderet particulas, paucas in eo residuas ut augeret, dejectas, suppressas, ut erigeret, elevaret, Spiritum Vini, qui nihil nisi oleum fermentando exaltatum & in spiritum transmutatum, sive Sal volatile oleosum, copioso phlegmate dilutum dicitur, quia nullum, cœu aliâs **Catarrhalibus**, **Cephalicis**, **Apoplecticis** & similibus **Aquis** mulierculæ instructissima communiter fovere solent scrinia, h̄c suppetebat aliud remedium, per varias vias corpori communicavit; **aërem**, qui aliâs in tali paroxysmo liber, patulus & agitatus requiritur, clausis exclusit fenestris ob frigus, pluviam & nebulas, in conelavi præsertim non angustiori, non depressiori, sed altiori & spatiose, fumo interdixit, ne halitus isti ad trachēm s. spiritalem appellentes fistulam tuſsim concitent, respirationem difficiliorem reddant; thoracem ac abdominis musculos liberæ restituit ab extra laxationi, ut illæ ab intra accedentes difficultates, molestiæ ac angustiæ tolerabiliores fiant; Medicamenta præscripsit recensita, & quidem **Aq. asthmaticam**, ex balsamicis, oleosis, aromaticis, salinis volatilibus particulis non destitutis, rad. enul. campan. Ircos Flor. fænicul. glycyrrhiz. farfar. alth. consolid. major. scyl-la, aris-

la' aristot. rotund. ver. H. nepet. Praesii, Hyssopi. &c. Capill. Vener. pulmonar.  
 utr. salv. hortens. sem. Nigell. Eruc. Nasturt. Vritic. Roman. anis. feni  
 cul. Bacc. Laur. Juniper. Spic. Indic. Cinam. Cost. Arab. Cardamom.  
 Croc. cum vino alb. malvatic. & sublimat. parat. exesse jussis alias jun  
 gi solitis, Iujub. Sebest. dactyl. Caric. & Lohob. San. & expert. de pulmon.  
 vulp. de pin. & ad asthma, cum modo consueto destillatæ nihil utile de  
 se fundant, & ingredientia infundenda saltem obviscent. Syr. de Praesio ex  
 lubricantibus, diluentibus, attenuantibus, incidentibus, præsios. Marru  
 bio, glycyrrhiz. capill. Qr. Hyssop. Calaminth. anis. rad. Apij, fænicul. Iresos,  
 Sem. maly. fænigræc. lini, cydon. passul. caric. penid. & mell. despumat.  
 paratum. Oxymel scyllitic. ex mell. despum. oleosis, balsamicis salinis vo  
 latilibus & mucilaginosis atomis prædicto, & isto à Galeno tot laudibus  
 ornato Aceto scyllitico, absque nimiis istis & superfluis curis parabili, con  
 stans. Mixta hæc tria exhibuit, ut spirituosa sanguini communicaret  
 particulas, suppressas in eo suscitaret, liberaret, pituitosas, serosas, visci  
 das dilueret, immutaret, attenuaret, incideret, dissolveret, viisque ad ex  
 pectorationem disposeret. Non enim solùm in ore, faucibus ac ventri  
 culo spirituosa tenuiores hujus Mixturæ particulæ sese diffundebant,  
 expandebant, spiritus aggrediebantur, refocillabant, sed & licet pauca  
 quantitate sensim ac sensim lubricante forma (taliter enim non suffo  
 cant) per continuum membranæ ductum quædam portio per laryngem  
 & asperam arteriam delabebatur, ne de sanguinis circulo noto multa di  
 cam. Sperma ceti haec tenus communiter habitum, non Ambram Albidam  
 vel purgatam, non Halosanthoi Veterum, sed revera cerebrum & cerebro  
 circumfusum liquorem pingueum, oleosum, Orca Belgis Potuisch, particulis  
 enim oleosis, temperatis, globosis moleculis, lubricando viscidum ni  
 mis mucum mobiliorem reddit & tenuiorem, vique sua pectorali expe  
 cторationem promovet, sed non cum Mixtur. ista, quia ob pinguedinem  
 in calidis felicis solvitur jusculis. Essentiam succini, in quâ unitæ oleosæ  
 succini partes cum spirituosis volatilibus vini partibus & Elix. Vit. Maj.  
 Q. spirituosum volatile balsamicum & aromaticum eminenter, ut cum  
 refluxo sanguine adducti tam spiritus & languentem Archæum suscitent  
 quam recrementa ista heterogenea discutiant. Unguent. pectorale cum ole  
 chamomill. non solùm, ut partes thoracis, externas præsertim, calore  
 actuali & demulcente oleosa vi consolaretur, roboraret, sed & ut discu  
 tiente incidente vi limofam attenuaret mucilaginem: Extrema fricari  
 jussit, ut crassiores sanguinis particulæ actuarentur, calefierent, agitaren  
 tur

tur, attenuarentur, rarefierent, calor per totum æqualiter distribueret, recrementa transpirarent & Archæus suscitaretur, moveretur.

XVI. Talibus cum subitò prostratum sanguinem erexisset, fibris tonum reddidisset, & mucilaginem istam attenuasset, dissolvisset & per expectorationem viis adaptatis eduxisset, vires, ut deambularet per conclave, redierunt, sola quad lascivud. refidua; ut autem porrò avertatur paroxysmus talis, istæque in sanguine & exera illum heterogeneitates sensim & sensim immutentur, tollantur, pulmonibus robur addatur, prescribit Medicus pulv. Mixtur. & Elect. Iustum ex rad. ari ppt. (acero enim mitescit,) quia insignis calore & cæregia in lenta ac viscida per Sal volatile acre incidenda ac resolvenda pituita est; Ireos non die am Illyric. sed Florent. (Veneta nimis familiariter cœpit in Pharmacopolia intrudi, sed multis isticedit) quæ calida, sicca, sulphureis, blandis, volatilibus vel oleofis partibus glutinosos pulmonum humores solvere feliciter valet, belenij, vi calefaciente, abstergente, discutiente & incidente particulis similibus prædita & Spermate Ceri modò laudat. Florib. sulphuris absque aloes, myrræ, sacchari, corall. &c. supervacanea inutili pro hoc affectu additione sublimatis, tam depuratum enim sulphur, quale in Perù reperiri dicunt, aut Quidam nimis curiosi requirunt, nos non possidemus, quia aperiendi, incidendi vi insigniter pollet, Benzöes facile ascendentibus, qui volatilibus valde, sulphureis, oleofis, incidentibus, attenuantibus constant particulis, & saccharo sandi, quod meatus & mucum ad expectorationem non uno modo disponit ac facilitat. Illam ex Veronic. aqua incidentes amaras atomos per vini spirituositatem magis elicias unitas continente & Oxymell. scyllitis. ante descript. Hoc ex conservis Veronicæ tot encomiis ab Exc. DD. Sim. Paul. celebratae, & flor. Anthos, qui quos vis obstructos meatus feliciter referant, crassos humores abstergunt & attenuant; Cort. arantiar. cond. qui aromatica suâ spirituosa, volatile & oleosa grata amaritudine partes corporis ad generationem aut collectionem phlegmatum quid conferentes, ipsumque phlegma corrugunt; Nuc. Indic. condit. quæ fororio auxilio hoc in negotio priorib. corticib. maxima cum emphasi se jungit, & Syr. Cort. Cistr. eleganteri parandi modo elegantiam natu, calefaciente, siccante, roborante facultate, balsamicis, aromaticis, spirituosis, oleofis atomis multum gaudente. Quæ tam efficacia alias Medicamenta impedire tamen non potuerint quia binâ adhuc vice truculentus ille tam subitò irrueret paroxysmus, ut non solum ad priora Medicamenta, sed & gummi Ammoniac, quod celebrem

Brunneri reddidit potiunculam singulare & decantatum aperiens & at-  
tenans cum Aq. Veronic. spirituofiori & lubricante Syr. de Iujub. mixatum  
securere opus haberet felici cum successu Medicus, cum istud potenter  
contra mucilaginem pulmonum crassam, viscosam, contumacem, etiam  
Tartaream agat, unde *spiritus Asthmaticus Exe. DD. Michaëlis p. m.*  
excellit, cuius hæc est descriptio : Rx. Crystall. arug. c. acet. destillat. p. m.  
3vj. Gumm. ammoniac. 3iv. sulphuris commun 3ij. M. destill. per alemb.  
in arena. Prodibit 29 volat. acidulus, qui si rectificetur, maximè  
penetrabit. Prudenter autem ignea regas necesse est, alias vasa che-  
mentissimè cum maximo impetu rumpi facies.

XVII. Paroxysmis itaque inducias dantibus quò firma pax initetur, dy-  
spnoeaq; jam tot annis familiaris mitigaretur, aut ad minimum ejus incrementum  
prohiberetur, ordinavit pulv. & pilul. quibus crudiores, serosiores, pituitosæ sanguinis  
particulæ imminuerentur, alterarentur, attenuarentur, spiritus fascita-  
rentur, roborarentur, sanguinis crasis emendaretur & viscerum functiones eor-  
rigerentur. Pulverem ingrediebantur Trag. aromatic. à Gabelkov. Archiatro Wirttem-  
bergico, Authore nomen sortita, ex cinam. zinzib. Garyoph. Galang. min. Gran.  
Paradis. Macore, Nucif. Santal. alb. rubr. & sacchar. alb. quæ salinis, volatilibus,  
aeribus, aromaticis, oleosis particulis, vi calefaciente, siccante, roborante insig-  
noscant. rad. aripp. helen. ante memoratæ, L. Saffafr. quod oleosum vola-  
tile acre, serosas, phlegmaticas superfluitates fortiter domat, & partes internas  
roborat, & Tab. manus Christ. perlat. ob confortationem non solum, sed & potis-  
simùm ob aromatum istorum temperationem. Pilulas ex Marocostino Extracto,  
cuius Ingredientia, vires & laudes in viscerum tono roborando, phlegmaticis  
humoribus educendis, alterandis, & sanguine depurando prolixè & doctè Au-  
thor non absque testimonio Experientiæ quotidiano recenseret, cui stimulum re-  
fínosis *Ialappa* segregatis & sui juris factis particulis addidit. Fonticulum bra-  
chio induxit, ut ista sanguinem inquinantia recrementa toties jam incusata pro-  
funderet. Diatam tanquam altetam satis potentem Medici manum operi etiam  
admovit. In specie *aromatum* usitatorum & petroselini radicum balsamicas, oleo-  
fas, salinas, volatiles commendans vires; motum corporis ad discutiendas cruditi-  
tates, serositates, excitandos spiritus, inducendum calorem suadens; Somno verò  
nimis serum cumulanti, spiritus sapienti, & calorem suffocanti interdicens. In  
quibus singulis postquam Ægra consilio Medici obtemperavit, summi Archiatre  
Gratia ueryum & vim Ipsi consilio largiente, cui sit Sola & Æterna Gloria, ius-  
munem à talibus paroxysmis haetenus egit vitam.

XVIII. Non levia autem h̄c cui oboriri possent Dubia, quæ prius remove-  
bo, quam *Historia* hujus *Analyſis* claudam. 1. Cur Vot. istorum à tot Medicis in  
Asthmate commendatum non exhibut? Resp. Haud raro Asthmatis dari spe-  
cium, ubi præsentissimum à vomitu remedium; In hac verò Ægra prohibebat  
pituitas. mucus valde viscidus, locus ejusdem, suffocatio imminens, viæ spiritu-  
les jam dum aestæ, & fibræ relaxatæ. 2. Cur V. S. ad ventilandum sanguinem &  
liberandos pulmones à sarcina non sunt adhibita? Resp. Temperamentum Ægræ,

causa morbifica, & vires non solum non indicabant, sed & dissuadebant eandem. 3. *Cur purgante Medicamento mucus iste, cruda ista & heterogenea sanguinis recrementa non educta?* Resp. Subito hic opus fuit juvamine, tum fermentativa illa agitatio, illa spiculorum irritatio, Archæi turbatio, paroxyſmum magis auxisset. 4. *Cur in paroxyſmo Clyster, qui ringente Helmontio, in talibus & similibus casibus pro sacra haberis solet anchora, non applicitus?* Resp. Debilitas omnium tum virium applicationem impedit. 5. *Cur spiritus ſalis armoniac. fuliginis, urina volatilis aut alijs hujus indolis non exhibitus?* Resp. Quia coagulatio sanguinis ab acido austero non adfuit, sed laxitas, ſolutio, enervatio potius. 6. *Cur Liquitit. farfar. althæa & confolida committuntur cum aliis deſtillationi pro elicienda aqua, cum nihil transcendat alembicum, & ob eandem causam, ut di- Etum, quædam alia omissa ſint?* Resp. Omnes balsamicas, oleofas me iſis non denegare particulas, & demulcentem, diluentem, lubricantem fundere iſta humitatem. 7. *Cur ad Syr. de Praſio confectionem ſem. malvæ, fænugræ. lin. cydon. recepta; mncilaginosa enim iſta debitam consistentiam, omnemque gratum colorem & ſaporem ſyrupis adimunt?* Resp. Prudens coctio consistentiam retinet, & iſta vias ad inuci eductionem diſponens vis præponderat aliquali non inſigni ingratto colori, quietiam absque iſis parum arridet. 8. *Cur non paracæthesiſ instituta, quain ad Phthisiſ curationem hodie iſtituunt, infuſis decoctis abſtergentibus, mundificantibus, glutinantibus, vulnerariis. Hic enim calefa- cientia, incidentia, attenuantia, diſſolventia, antasthmatiſca infundi potuſſent, ut Medicamentum viribus integrum mox, non per tot anibages, appelleret ad locum affectum?* Resp. 1. Non tam in ſuperficie pulmonum, quām interioribus, veficulis & bronchiis hærebat cauſa morbifica, non tam fluida & ad effluxum prona, quām viscida, vi thoraciſ explosiva expellenda erat materia. 2. Subito hīc opus erat auxilio, iſta autem operatio cum fine optato ad finem tam ſubito produci non potest, viri bus präſertim tam debilibus. Et hæc de proposito Casu. *Summo Corporis & Anima Archiatro fit Laus, Honor & Gloria in ſempiterna Secula.*

**C**Alx iibi, Kalckbrenner, nomen formavit & ardor.

Nec caret effectu nomen, & omen adest,

In Medicam plenis ardebas ignibus artem.

Asthmatuum calcem dicere quid prohibet?

Extingues calcem, feliciter Asthma levabis,

Crede tuum nomen fama per aſtra vehet.

Nobili ac Præclarissimo DN. Candidato Respondenti amico & Com-  
mensali ſuo dudum ſuavifſimo exoptatiffimo, paucis hiſce proſpe-  
ra quæque animitus precatur

Ioh. Adam Rurrer/ V. I. D. & P. P. h. t. Facult. Iurid. Decanus.

**I**N Studii Medici ſtadio quia curris anhelans,

Te Respirantem prämia digna manent.

Appos.

PRAESES.

**R**A doces Raro ſub Praſide, rara ſequatur

Gloria, ſed Praxis neq[ue] rara, precor.

Tuus quem nobis

J.C. Cellarius, Med. Lic.